

PETRI RAMI SCHOLA-

RUM MATHEMATI-

CARUM LIB. II.

Primus scholarum mathematicarum liber nobis adhuc fuit de mathematicæ primis inventoribus & authoribus, unde artis dignitas præstantiaque intelligeretur: Sed duæ mathematicis artibus graves adversariæ opponuntur, inutilitas & obscuritas. Hæc siquidem pestifera duplex opinio jam pridem per animos hominum pervasit, persuasitque vulgo imperito mathematicas artes inutiles esse: hæc est prima mali labe. Deinde ut utilitatis non nihil habeant, tamen per obscuras perque difficiles esse: quod malum etiam superiore perniciosius est. Ergo duæ istæ exitiabiles persuasiones ex animis hominum nobis evellendæ sunt, si mathematicas artes populares efficere contendimus: imò verò si crimine inertia liberari volumus. Quoties enim dum Euclidis Elementa prælegimus, reprehensi sumus à maledicis: quod nostræ professionis aliena, imò verò etiam incognita doceremus? quod in re inutili nimium studii atque operæ poneremus? denique quod regię professionis otio abuteremur? Votes enim quotidianæ ac ferè perpetuæ ejusmodi fuerunt, quæ constantiam nostri studii non philosophiam, sed pertinaciam esse clamarent. Ergo his vocibus satisfiat, & de nostræ professionis fructu respondeatur. Professor eloquentiæ & philosophiæ factus sum, fateor. Mathesis, aiunt reprehensores nostri, philosophicæ professionis aliena est: Certè homines ita judicant, & philosophiam eam solam arbitrantur esse quam didicerunt. At Pythagoras, Plato, Aristoteles philosophiæ, physicæ & politicæ principia in mathematicis statuerunt, & bellam istorum philosophorum sapientiam, sine capite, vel potius sine corde esse docuerunt. Cum igitur Henrico primum, deinde Francisco, tum Carolo Regibus profitendæ philosophiæ fidem dedi, truncam principe corporis parte sophisticam ad nostrorum reprehensorum fatuam calumniam nequaquam recepi, sed doctissimorum & omni philosophiæ laude facile principum judicio religionem meam professionis obligavi. Nihil igitur alienum philosophicæ professionis facio, si via descriptis, usuque legitimo confirmatis Grammatica, Rhetorica, Logica, deinceps ex ordine Arithmetica & Geometriam persequor, & eum laborem sponte suscipio. quem ne mathematicus quidem professor quisquam ante me in regia cathedra suscepit. Primus enim mathematica Euclidis elementa ab initio ad extremum in regia cathedra prælegi, & alios docui, quod mihi persuaseram, quemadmodum nihil esset grammaticè compositum, quod à Grammatico explicari non posset, sic ratione & logicè nihil esse demonstratum, quod à logico retexi non posset: Denique Martonis sententiam illam veram esse,

— Labor omnia vincit

Improbis. — —